


Prædictus autem Halberstadenſis electus cum literis ſui capituli nuncios ſuos Romam direxit, petens electionem ſuam autoritate Apoſtolica confirmari. Sed Dominus Papa audiens Dominum Conradum Episcopum de ſede ſua contra veritum deſcendiſſe, electionem in Dominum Fridericum factam caſſavit, & quia Dominus Conradus eadem Eccleſia iudicaverat ſe indignum, noluit eum redire ad ipſam, ſed à nuntiis Halberſtadenſis Eccleſiæ & Capitulo, quatuor ſibi denominatis perſonis, quia de idoneitate ipſorum ei conſtare non potuit, nomina eorum incluſa in literis Apoſtolicis Domino Oſtienſi Episcopo & Domino Leoni, Apoſtolicæ ſedis legatis in Teutonia exiſtentibus, tranſmiſit, mandans eis, ut ipſi ad Halberſtadenſem Eccleſiam accedentes, quem inter quatuor perſonas illas magis idoneam invenerent, à nunciis ſupra dictis, qui literas ratiſhabitionis à Capitulo Halberſtadenſi acceperant, ſicut in præſentia Domini Papæ debuerant facere, Halberſtadenſis Eccleſiæ Episcopum eligi facerent ac paſtorem. Quia vero iidem Legati jam in reditu exiſtentes nequiverunt exequi mandatum Apoſtolicum vices ſuas Domino Magdeburgenſi, cujus copia dum haberi non potuit, Domino Mindenſi Episcopo delegarunt: Qui ad Halberſtadenſem Eccleſiam accedens, omnibus, quæ in mandatis acceperat, fideliter executis Dominum Fridericum eligi juſſit ab electoribus prætaxatis in Episcopum, ejusque electionem Apoſtolica auctoritate confirmavit. Qui etiam à Domino Sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiſcopo & Ordinem Sacerdotii & Episcopalem benedictionem rite accepit.

Dominus Conradus vero quia ſine diſpenſatione à ſede Episcopali deſcenderat, Dominus Papa tam ipſum quam ſui Monasterii Abbatem, qui ipſum receperat, à Sacerdotali officio ſuſpenſos ad Romanam Curiam evocavit, injunctaque eis condigna pœnitentia, Domino Conrado Episcopalis officii exemptionem conceſſit.



XVI.

HISTORIA

ALBERTI II. EPISCOPI HALBERSTADEN-
SIS, NATI EX DVCIBVS BRVNSVI-
CENSIBVSAB ANNO MCCCXXIV. AD MCCCXLIX.
CONSCRIPTA,

Ex MSto.



Anno incarnationis Chriſti 1324. dominus *Albertus de Anebale Halberſtadenſis Eccleſiæ Episcopus* in die exaltationis Sanctæ Crucis ex hoc ſeculo, ut piè creditur, ad Chriſtum migravit, qui licet multa pericula in rebus & corpore pro Eccleſia ſua ſuſtinuerit, tamen eam competenter ampliavit, civitatem & caſtrum *Aſcharia* recuperavit, caſtrum *Schneidlinge* & caſtrum *Konigsbof* in *Hartone* ſais denariis acquiſiſit. Ejus quoque corpore in medio Eccleſiæ cathedralis tradito eccleſiaſtica ſepulturæ fratres tunc præſentes in loco capitulari ſeorſim ſe recipientes, & terminum ad tractandum de electione futuri pontificis præſigentes, in quo tamen vocatis vocandis vota fratrum ſe diviſerunt, & major pars Capituli elegit Dn. *Ludovicum de Neindorff* in Episcopum & paſtorem, qui poſtea ex proviſione Papæ *Johannis XXII.* factus eſt *Episcopus Brandenburgienſis*: alia vero pars Capituli, puta quinque numero, elegit Dn. *Albertum de genere Ducum in Brunſwic* progenitum. Papa vero *Johannes XXII.* providit Domino *Giſekoni ex genere nobilitum de Hoſſatia* procreato. Sed licet prædicti duo à partibus capituli electi, proviſionem ignorantibus, ſuper ſuis electionibus in concordia celebratis, coram *Archiepiſcopo Moguntino Domino Matthis* multum diſceptaſſent, tandem ſervato juris ordine ſententiam fuit cum magnâ ſolennitate pro Domino Alberto, & ejus Electio per Archiepiſcopum prædictum eſt confirmata, & pars adverſa in expenſas eſt condemnata, poſt confirmationem & inveſtituram celeberrimè factam infra annum eſt in preſbyterum ordinatus, & in Episcopum ſecundum formam Eccleſiæ conſecratus, ita quod tempore litis & poſt confirmationem & ante conſecrationem vel etiam poſt conſecrationem, ſibi nihil certi apparuit de proviſione Papæ, prout idem Papa ſub bulla ſua proteſtabatur. Sic igitur in vinea Domini fideliter laboravit, & pondus diei & ætus in humeris portavit, ut pro bravio denarium comprehenderet, cum ad ſtadium de talentis ſibi creditis rationem redditurus perveniret. Et ſic in vinea Domini diſſipavit & ædificavit & plantavit. Caſtrum enim *Emersleben* à ſuo prædeceſſore obligatum, tanquam ſpeluncam latronum factum, valida manu circumvallavit & viriliter expugnavit, captos

captos ibidem laqueo suspendit. Castrum etiam *Gatersleben* circumvallando armatis viribus recuperavit dudum ab ecclesia abalienatum. Item castrum *Güntheckerburg* ante civitatem *Quidelingeburg* ab eo circumvallatum fortiter expugnavit, & funditus destruxit. Civitatem quoque *Quidelingeburg* perpetuo servitio cum 50. marcarum redditibus Ecclesie subjugavit. Diffensione vero valida inter ipsum & *Marchionem Misnensem* exorta suis inimicis non parcens, quantum in eo fuit, incendiis & rapinis eosdem, de meritis exigentibus, molestavit. Marchioni autem Misnensi predicto eidem domino Episcopo se opponente, in persecutione suorum inimicorum, in quodam conflictu bellicoso convenientibus multi interfecti, & circa 60 milites & famuli famosi & strenui sunt captivati, inter quos *Dux Wilhelmus patruus*, & *Dux Ernestus frater carnalis de Bronschwig*, capti sunt & detenti, licet ipse cum difficultate evasit. Unde ipse ob tale infortunium non desperans, sed potius fortis in adversis castrum *Warnestorp* fere cum 300 viris galeatis circumvallavit, & partem muri destruxit & grande coenaculum igne combussit; licet in procinctu expugnationis Marchio Misnensis cum 2000 armatis galeatis & optime expeditis in adiutorium castro circumvallato venit & ab obsidione liberavit, terramque incendiis & spoliis devastavit. Post recessum vero Marchionis idem Episcopus castrum *Gröning* obsedit multis machinis & aliis instrumentis ad expugnandum habitibus. Et cum spes expugnationis adesset, ex quadam discordia *Luneburgensis Ducis patri sui* ibidem cum suis armatis existentis & recedentis Castrum salvabatur. Hujusmodi vero inimicis sedatis, *Comites de Regenstein* & fere cum omnibus nobiles & Comitibus ante Hartonem surrexerunt contra Ecclesiam Halberstadensem, & ex tribus Ecclesiis tria castra ante civitatem *Quidelingeburg* erexerunt, & incendiis & rapinis Ecclesiam immaniter devastantes. Ipse vero non ut mercenarius fugit, sed ut bonus pastor animam pro ovibus suis posuit, & congregata magna multitudine armatorum bene expeditorum predicta tria castra, fugatis & quibusdam inimicis captis, potenter expugnavit, & civitatem *Quidelingeburg* sic obsessam pristinae libertati restituit. Illa autem seditione pacifice sedata non multo post iterum *Comites de Regenstein* ad vomitum, sicut canes, redeuntes, Ecclesiam Halberstadensem nimium crudeliter invaserunt, Ecclesias confregerunt, clericos captivos in vinculis detinuerunt, & quod miserabilius est dicere, nec religiosi viris nec sanctis Monialibus pepercerunt. Durantibus sic ab extra infestationibus, bella intestina pullularunt. Surrexit quidam *Jacobus* dictus *Snelhard*, quem idem Episcopus in suae Curiae officialem recepit, & in Canonicum B. V. H. promovit, eidem praebendam conferendo, & parochiam in *Osterwick* vacantem sibi contulit, & procedente aliquo tempore ipsum ad Cathedralem Ecclesiam transtulit, & in Canonicum & Decanum fecit. Quid plura? Res & honores sibi credidit, & sic dilatavit, impinguavit, incrassavit; propter quod recalcitravit, Dominum suum relinquens & fauorem, oblitus omnium horum, & quod horrendum est dicere, juramenti praestiti; quo spiritu actus, nemo bonae mentis dubitat; quandam conspirationem cum quibusdam Canonicis contra Dominum Episcopum occulte fabricavit: quam tamen idem Dominus cum Canonicis quibusdam non consentientibus, ut debuit, impugnavit. Unde *Jacobus Snelhard* super depositione & destitutione sui Episcopi fortissime laborat: ita quod etiam quandam conspirationem priori pejorem cum civibus Halberstadenfibus inivit contra Ecclesiasticam libertatem, & eam sigillo Capituli, multis fratribus de Capitulo & Episcopo contradicentibus, sigillavit. Obligavit enim Ecclesiam Halberstadensem perpetuae exactioni, dando Civibus Halberstadenfibus, & sic ipsam Ecclesiam Halberstadensem & matrem & Dominam plenam, populo, quod plorando pronuntiandum est, fecit sub tributo. Super qua conspiratione ad querimoniam Domini Alberti Episcopi Dominus *Henricus Moguntinus Archiepiscopus* misit *M. Henricum de Gotha* ad inquirendum de veritate conspirationis, qua inventa, auctoritate statutorum provincialium, predictum *Jacobum* beneficio & officio sententialiter cum suis sequacibus privavit. Propter quod idem *Jacobus Snelhard* suam linguam & gladium acuit, sed etiam in verba prorupit blasphemia & schismatica, putans maledicere fore bonae conscientiae signum; & quod veritate non poterat, saltem conviciis praesumpsit eundem Dominum suum Episcopum lacerare. Cum etiam ratione hujusmodi conspirationis quidam Canonici vicarii & plebani civitatis Halberstadenfensis contra mandatum suum divina solemniter celebrarunt; quod spiritali gladio non potuit, seculari brachio cum consilio suo, auxilio suorum Consulium & civium Halberstadenfium attentavit; Cathedralem Ecclesiam [&] B. Virginis in urbe clausit, & assumtis clavibus eorundem, ne claves contemnerent & nervos Ecclesiasticae disciplinae, ad idem faciendum misit idem Episcopus Clericos suos solenniores cum laicis multis ad Ecclesiam S. Pauli, ut profanum quendam celebrare prohiberent reverentia, qua decuit. Insurrexerunt filii iniquitatis, aut, ut verius dicam, non filii, sed privigni & nefarii praesumptores, quos idem Episcopus nutrit, videlicet Consules una fere cum omnibus civibus, armata manu, deliberato animo, sicut boves & asini non cognoscentes possessorem suum & praesepe, & portis civitatis undique clausis, tanquam furiosi cum gladiis & fustibus tumultu horribili & inhumaniter detestanda saevitia fientes sanguinem Clericorum & Laicorum ab Episcopo missorum: & ut experientia docuit, per Assisinos interfecerunt Magistrum *Henricum Doctorem Decretorum*, Magistrum

Albertum de Gallia in jure Canonico peritum, duosque alios scholares. Alios quoque Clericos & Laicos captivarunt & captivos detinuerunt, nec solum vivos sed jam mortuos spoliaverunt & multis vulneribus martyrisaverunt, & sic scelerunt factis & verbis, quod idem Dominus Episcopus per murum civitatis, cum alias effugere mortem non posset, cecidit, & sic evasit, & sic peccatum addiderunt super peccatum. Væ igitur genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. Dereliquerunt Dominum suum & honorem; quoniam meretrix facta est civitas fidelis, plena judicii. Justitia habitavit in ea, nunc vero homicida. Argentum tuum versum est in scoriam, virtus in vitium, fama in infamiam; bene politum speculum in monstruosum. Ingredere in petram & abscondere in fossa humo a facie nobilium virorum. Sunt ergo rei criminis laesa majestatis, perpetuo infames. Diffidati & banniti sint, sic confusi, ut suae malitiae non inveniant successores. Sic autem rigor ultionis infurgat, aut contra vitae subsidium mortis solatium invocetur. Quis enim locus tutus erit & quis Rector securitate gaudebit, si mater Ecclesia & in Christo pater tantis & talibus periculis exponuntur. Quos filios, quos filiorum Zelatores tanta contumelia non tangeret & confusio tam aspera non moveret. Sic igitur matre litium & materia jurgiorum discordia intus & extus regnante, seminatore discordiae, ut creditur, ad capiendas animas hoc procurante, & ultra biennium Dominus in se sperantes more solito non dereliquit; sed Ecclesiam B. Protomartyris sui Stephani in periculis fluctuantem, oculis misericordiae suae antiquae respexit, & corda discordantium, prius Pharaonis cordibus duriora, in mollia & flexibilia commutavit. Ita qui prius dispersi fuerant discordes, in unum per concordiam congregavit. Nam conspiratores conspiracy literas sigillis Capitulorum & civitatis Halberstadenensis firmatas, à qua conspiracy, ut rerum magistra experientia docuit, prodiit omne malum in locum, qui dicitur *Wardobof* extra civitatem ante valvam S. Johannis deportarunt, ipsasque ad rumpendum voluntarie dederunt in praesentia ipsius Pontificis, sibi que adhaerentium, aliorum etiam Clericorum, militum, famulorum & civium fere millium ad hoc specialiter congregatorum; qua conspiracy maledicta tradita & corrupta tantus jubilus & exultatio à Clero & populo fuit, quod exprimi vix potest lingua humana. Nam oves perditae sunt inventae, & filii prodigi substantiam suae fidei dissipantes, ad patrem & pastorem sunt reversi, & ab eo hilariter sunt recepti. Quid plura? non longe post idem Pontifex, cum civitatem suam Halberstad, de qua, ut dictum est, per murum cum pudore fugatus est, intrare proponeret, vocatis ad se duobus fratribus suis *Magno & Alberto*, & duobus patribus *Johanne & Wilhelmo Ducibus de Bronswig*, aliisque Praelatis, Canonicis, Clericis, Nobilibus, Ministerialibus, militibus, famulis & populo innumerabili ad praedictam iter arripuit civitatem. Totus Clerus cum fratribus Minoribus, qui contra ipsum conspiraverant una cum aliis ipsi Pontifici adhaerentibus cum processione solenni, vexillis praeparatis & campanis gloriose pulsatis, civibus etiam universis sibi obviam occurrerunt, & eidem tanquam Domino suo honorem & reverentiam debitam cum muneribus exhibuerunt; & consules civitatis una cum civibus in cœmiterio S. Martini congregati, sibi juramentum fidelitatis de novo praestiterunt, sub hac forma, ad orientem se vertentes dextrae manus digitis elevatis: *Dat we usen H. Bischope von Halb. Alberto, de hier so jegenwertig is, also trüe und also hold sien als Bõrgere thau recht schollet obren Heren, und schollet õhm behulpen wesen, un syne stadt tou Halberstade õbme holden, tou allen synen nütten un nõden, dat us Gott also belpe und syne Hilligen.* Idem etiam Pontifex infra duos menses immediate consequentes, castrum & oppidum *Oschersteden* pro 3600 marcis Stendalensis argenti obligatum redemit & Ecclesiae recuperavit.

Istis autem omnibus sic laudabiliter peractis Ecclesia Halberstadenensis intus & extra ad rempus aliquod licet modicum requievit. Et quia difficile est consueta relinquere, juxta illud: quod nova testa capit, inveterata sapit, & praedicti *Comites Albertus & Bernardus de Regenstein*, & *Burchardus* cum filiis suis *de Mansfeld* à primævo ætatis suae tempore, cujus contrarium in memoria non existit, Halberstadeni Ecclesiae semper infesti, & bonorum, quae tenuerunt & tenent ab Ecclesia, nimium ingrati, more consueto matrem suam sanctam Ecclesiam Halberstadenensem, iterato crudelius invadere cœperunt, sagittisque ardentibus & ignitis jaculis, Ecclesiae civitates munitionesque alias, quantum in eis fuit, gravissime devastantes; molestiusque variis & vere innumerabilibus molestando, viduas & advenas quam plurimos occiderunt, pupillos & orphanos non paucos fecerunt, clericos & religiosos captos, duris vinculis detinebant. Sic ergo persecuti sunt inopes & mendicos, ut de habitationibus suis ejecti filii complures prius abundantes una cum patribus cogerebantur panem ostiatim mendicare. Tali autem re flebili non cessante aliud priori flebilius supervenit. Domino enim *Gisekone de Holfatia*, quondam proviso per Dominum Johannem XXII Papam de Ecclesia Halberstadeni, ut dictum est, de medio sublato, qui ipsam Ecclesiam quasi pro derelicta habebat. Nam Dominum Albertum Episcopum praedictum, ipsam Ecclesiam possidentem per 20 annos & amplius post talem provisionem, inquietare penitus non curavit: licet [post] vitam ipsius Domini Gisekonis ultra biennium Domino Papa Clemente VI non ignorante, ipsam Ecclesiam Halberstadenensem pacifice tenuit & quiete; tandem seminato-

natores zizanix diaboli privigni, *Burchardo de Mansfeld Comite* ab antiquo tempore Ecclesie Halberstadenfis semper æmulatore procurante, Dominus Clemens Papa VI *Alberto de Mansfeld ejusdem Burchardi filio* de Ecclesia Halberstadenfi ad preces Domini Caroli Regis Bohemix in Regem Romanum electi providit. Quantus autem tunc dolor cordis & mentis anxietas de hac provisione venit clero & populo, vix potest, imo non potest literis sufficienter explicari: quia non solum rerum, sed etiam animarum periculum merito formidabant, quod verisimiliter, sicut experientia postea docuit, exinde potuit evenire. Sed Dominus pius & misericors Ecclesiam Halberstadensem sic procellosis fluctibus fluctuantem, gratiosè respexit, æmulosque flagellis iracundiæ suæ monuit & correxit, ut sic matrem suam sanctam Ecclesiam Halberstadensem, à qua nequiter apostataverant, cui etiam tunicam inconfutilem, scindere nitentur, recognoscerent, & ad cor humiliter redirent. Comes enim *Burchardus de Mansfeld* prædictus, Dei judicio cæcitate perpetua est percussus: *Bosso* suus primogenitus tanquam plumbum in aquis vehementibus est submersus; Aliis cervice fracta expiravit, alius lepra interfectus vitam finivit, alius in quodam conflictu interfectus, alius in remotis partibus, qua morte mortuus, ignoratur. Sic ergo idem *Comes Burchardus de Mansfeld* in se & suis filiis divinæ ultionis vindictam virga ferrea, ut spiritu salvus fieret, graviter est afflictus; *Bernhardus* vero de *Regenstein* cum multis militibus & famulis captus, & quidem per 4. annos vinculis est detentus. Eo autem in vinculis detento, *Albertus frater suus de Regenstein*, Ecclesie sævus dolis & fraudibus semper inimicus & æmulus publicè & occultè: in campo *Tanstedde* à personis humilibus & paucis nutu divino, suis famulis territis & in fugam conversis, ipso tamen Comite solo relicto, est illic interfectus. Cui successerunt duo ejus filii, *Olvicus* subdiaconus & *Bernhardus* Laicus, qui percepta morte patris in Ecclesiam Halberstadensem & contra Dominum Albertum Episcopum tanquam *Leana* vel *urfa* raptis catulis sævientes, verbis & factis contumeliosis & opprobriosis, mendaciis & fictitiis multis & variis famam ejus, quantum in ipsis fuit, lacerantes, scribentes & narrantes, eundem Dominum Albertum fore reum & conscium patris sui mortis, quanquam idem Dominus Albertus coram Principibus, Comitibus, Nobilibus, militibus, famulis & civibus purgare semper canonicè se exhibuit paratum, nec per eum stetit, quo minus venit hujusmodi purgatio ad effectum. Quod ulterius idem *Comes Burchardus de Mansfeld* malum malo cumulavit & in profundum malorum descendit. Nam fidem verbaliter, manualiter, liberaliter Domino Alberto prædicto pro pace servanda præstitum temere violavit. Castrum quoque *Gerstorp* pro ejusdem pacis observatione obligatum per suum juramentum temeravit: imo filii perjuriam fallaciter solvit. Finxit enim & perjuravit, & dejeravit, eoque, quod filius suus eodem modo, quo prædictus Dominus Albertus Pontifex nominatus est, nominatur. Forma vero juramenti fuit hæc: *Talis corporaliter Sacrosanctis Sanctorum reliquiis, [juro] quod ego omnia & singula fidenter Domino Alberto Bronsvic. Episcopo, quando eum Capitulum Clerus & populus pro Episcopo Halberstadenfi tenerent & haberent, promissa fideliter, & sine fraude integraliter observem. Sic me Deus adjuvet & sui Sancti.* Cujus tamen contrarium nobiles & ignobiles clamaverunt. Cum autem idem *Burchardus de Mansfeld* cum suis sequacibus & fautoribus in flagellis Domini est minus emendatus, nesciens, seu ut verius dicatur, nolens suos gressus dirigere in semitis justitiæ, nec ad cor reverti & agere pœnitentiæ fructus dignos, & cum aliud non restaret, consequi necessarium fuit, ut idem Pontifex suam & Ecclesie suæ injuriam, ipsiusque Comitibus & suorum sequacium malitiam ulterius nullatenus sustineret; volens potius pro populo suo viriliter bella gerere studio pacis, quam mala gentis suæ videre, ut pravi coercerentur & boni in pace quiescerent & sederent. Memoratus Pontifex fortis in adversis, cum suis & Ecclesie militibus, famulis & civibus castrum *Lauenberch* expugnavit, & non longe post in monte *Revenkenberch* novum castrum erexit. Præcedente tempore castrum *Crostorp*, quod fere inexpugnabile videbatur, copiosa multitudine equitum & peditum undique circumvallavit & potenter expugnavit; gratias Deo agendo & meritis B. Stephani Protomartyris gloriosi, anno Domini 1349. Nec est silentio transeundum, quod idem Pontifex Dn. Albertus 20. vicibus & ultra, ut creditur, solennes expeditiones habuit tempore sui regiminis: innumerabili & copiosa multitudine equitum & peditum in omnibus necessariis expeditorum, publicè expansis tentoriis, vexillis erectis, variis & diversis instrumentis bellicis preparatis castra inimicorum suorum circumvallavit, terrasque illorum incendiis & raptionibus potenter devastando: primam ante Castrum *Gunteckenberg*, secundam ante *Emersleve*, 3 ante *Gatersleve*, 4 ante *Weselingen*, 5 ante *Heimborch*, 6 ante *Derneborch*, 7 in *Falckenstein*, 8 ante *Dorse* [*Vorse*], 9 ante *Lauenberch*, 10 ante *Gerstorp*, 11 ante *Nunnenberch* juxta *Quidelingeburch*, 12 in ædificatione novi Castrum *Zeveckenberch*, 13 in ædificatione *Hesneam*, 14 in *Warnstorp*, 15 ante *Gröninge*, 16 ante *Gensforde*, 17 ante *Querenforde*, 18 iterum in terris Comitibus de Mansfeld, 19 iterum ante *Derneborch*, 20 ante *Crostorp* castrum. Et hæc sunt castra & oppida sibi adhærentia cum villis sibi adhærentibus, quibus sui regiminis tempore ecclesiam Halberstadensem ampliavit: Castrum *Falckenstein*, Castrum & opidum *Engrensleve*, *Quidelingeburch*, Castrum *Dahl*, Castrum *Zeveckenberch*, Castrum *Weselinge*, Castrum *Gatersleve*, Castrum *Gastorp*, Castrum *Velpbingerode*, Castrum *Schlanstede*, Castrum *Crostorp*.

Licet

Licet autem nihil sit sub sole novum, tamen rariora magis sunt notanda: propter quod placuit quædam dicti Domini Alberti discuti notatu digna. Fuit quidam de ordine Minorum creatus de novo in Antipapam contra Dominum Johannem Papam XXII. Item quidam fuit Romæ de novo in Tribunum assumptus. Item Ludovicus de Bavaria Romanorum Imperator Domino Ludovico filio suo primogenito *Marchiam Brandeburgicam* sibi vacantem per mortem Marchionis Woldemari contulit & de eadem investivit eundem, qui ipsam Marchiam multis annis pacifice possedit. Item idem Dominus Ludovicus Imperator per Papam Clementem VI damnatus & depositus ab Imperio, & eo vivente *Carolus Regis Bohemia filius* in Regem Romanorum per Principes Imperii Electores non tamen omnes ad instantum Papæ Clementis VI est electus. Item ipso Domino Ludovico sic deposito, & procedente tempore de medio sublato contra Carolum in Regem Romanum, ut dictum est, electum *Guntherus de Schwarzburch* à cæteris Principibus ad primam electionem vocandis non vocatis, per electionem in Regem Romanum est assumptus & honorificè à regni civitatibus receptus, qui modico tempore supervixit. Nam est veneno peremptus. Item Dominus *Henricus de Verneburgh Archiepiscopus Moguntinus* per eundem Papam Clementem VI Archiepiscopatu est per sententiam spoliatus, Domino tamen Henrico munitiones Ecclesiæ Moguntinæ s. possidente. Item pestilentia magna fuit: item plurimi Judæorum sunt interfecti: item quidam nulla autoritate Crucibus secundum beneplacitum signati, quandam sectam novam non approbatam, sed potius reprobam invenerunt, in die tribus vicibus, quin quotiens & quomodo eis placuit, duo & duo processionaliter nudi usque ad femoralia, se flagellis acuatis acribus flagellarunt, cantilenas cantantes uno vel pluribus præcinentibus, cæterisque idem repetentibus, sicut consuetum est in choreis fieri vel theatris, genuum inflexiones & pectoris tunctiones, [facientes] sub quadam religionis simulatione multas garsiones, lenones, leves & simplices personas sibi attraxerunt: sed non duravit. Post hæc mira talia miracula, ut æstimo, multa admiratione digna, Dominus *Woldemarus quondam Marchio Brandenburgensis* in communi opinione hominum, imò secundum rei veritatem mortuus & sepultus, ejus etiam uxore legitima post tempus luctus congruè expectante, & ad vota secunda transeunte, in anno 29 post ejusdem Marchionis obitum propter quasdam discordias inter Dominum *Ludovicum Marchionem Brandenburgensem* ex una, & Dominum *Ottonem de Hæssia Magdeburgensem Archiepiscopum*, *Rodolphum Ducem Saxonie*, *Albertum & Woldemarum fratres de Anhalt* parte altera exortas: idem Archiepiscopus & Dux & Comites astutè procedentes ipsius Ludovici Marchionis potentiam merito formidantes, nec eum humiliare vel sibi adæquare ipsum Marchionem quoque non potuissent, apud se non rectè cogitantes, quod veritate non poterant, saltem cum ficta malitia præsumebant. Finxerunt enim Dominum *Woldemarum*, quondam Marchionem Brandenburgensem, cujus successor erat Marchio Ludovicus, dicentes ipsum *Woldemarum* vere non fuisse mortuum sed simulatè, & tempore suæ simulatæ mortis amore Dei in longinquum propinquasse, & alium suo nomine traditam solenniter Ecclesiasticæ sepulturæ, & peracta penitentia 29 annis, ad propria rediisse, principatum Marchiæ cæteraque bona ob justam causam, puta peregrinationis, ad tempus relicta, posse recuperare & repetere, occupare, & invasorem quemlibet violentum & detentorem illicitum amovere. Querebant enim hominem aliquam similitudinem *Woldemari* Marchionis habentem, actus & facta terræ per se scientem, vel ab aliis informatum, & apud ipsos aliquo tempore nutritum, qui se diceret Marchionem *Woldemarum Brandenburgicum*, nec aliquando mortuum se fuisse, nisi à tempore solo prout monachus mortuus fingitur juris fictione. Et sic civitates, castra, milites, famulos & incolas Marchiæ nunc pervasionibus, nunc minis, nunc terroribus, nunc oppressionibus variis callide seduxerunt, & inducentes mentes simplicium ad consentiendum simulationi & acceptatum simulatum & falsum Marchionem, qui nimium creduli tanquam bos ad victimam ducti consenserunt, paucis tamen duntaxat exceptis, qui usi saniore consilio, credere noluerunt. Cæteri vero prædictum simulatum & falsum, alio nomine dictum *Meelsack* in magno honore, pompa & æstimatione tanquam verum Marchionem receperunt, munitiones, civitates & castra eidem præsentantes, homagia, fidelitatis juramenta, non obstantibus prioribus præstitis Domino Ludovico Marchioni Brandenburgensi. Sed sibi in suæ propriæ salutis dispendium faciebant, advocatis etiam & officiariis Ludovici Marchionis nimium crudeliter ejectis penitus & amotis. Ex quibus omnibus bella gravia, strages hominum, infinitaque rerum & corporum sunt pericula consecuta. Dic ergo modo, quis audivit tot & talia per solennes Principes fore facta? Hæc facta & conscripta sunt tempore, quo præsedit Dominus *Albertus Halberstadenensis Episcopus* sæpe dictus ab annis Domini 1324 usque ad annum 1349. Futura vero notabilia, contingentia deinceps, qui supervixerit, conscribat, si

cujus placuerit voluntati.